

LOGICÆ PARS TERTIA

DE METHODO

SIVE

METHODOLOGIA

318. Methodologiæ ac methodi notio.— In 1^a Logicæ parte, ostensum est quibus criteriis veritas inveniatur ab homine; in 2^a parte, quibus regulis demonstretur. Restat jam 3^{um} Logicæ munus, quod aliud non est nisi indicatio methodi tenendæ ut veritas *facilius, tutius et ordinatius* inveniatur ac demonstretur.

Methodus porrò, ex græcâ voce *μετα*, ad, *odos*, via, designat *viam ad aliquid*. Quoad *rem* et logicè spectata, definiri potest: *Via quam mens sequi debet in scientiæ adeptione, vel Ratio ordinatè disponendi systema cognitionum nostrarum.*

Homo quilibet, naturâ duce, ordinem aliquem sequitur in inquisitione veritatis, et varias suas operationes vel cognitiones ordinatè disponit. Itaque methodus *artificialis* sive *methodologia* tota in eo esse debet, ut methodi *naturalis* processum explicet scientificâ ratione.

319. Utilitatem methodi recens quisque philosophus laudibus cumulavit, in primis Baco, Malebranchius et Cartesius, qui nimiam vim ei dederunt, cum ab eâ solâ repeterent diversitatem ingeniorum, et errorum causam ac fortunam philosophiæ.

Revera magnum esse illius munus negari nequit. Humana enim ratio imbecillis, iter ad scientiam longum et difficile, loca hinc inde periculosa. Occurrit methodus, quæ optimi

ducis instar, incedere volentem manuducat. Qui inconsultè procedit, prout fert ingenium vel fortuna, portum quidem aliquando assequitur, sed tardiùs ac difficiliùs, et in syrtes non rarò incidit. Quid enim juvant magni etiam passus, si forte extra viam? Cunctis porrò utilis est rectio certa, iis etiam qui magno pollent ingenio, sed omnino necessaria iis qui mediocri. Imo posteriorum, si eâ rectè utantur, felicior exitus esse potest quàm priorum, si eam negligant, ut jure notat Baco: « Claudus in viâ antevertit cursorem extra viam. » (*De Augm. scient.*, l. II, n. 2) (1).

320. Methodologiæ divisio.— In methodo, quæ est via ad veritatem obtinendam, tria possunt considerari, nempe 1^o initium sive terminus *a quo* proficiscitur; 2^o via ipsa quæ teneri debeat, et 3^o terminus *ad quem*, tanquam ad optatum portum, via perducit, sive adeptio scientiæ. Quanquam porrò tria hæc ad methodum adæquatè sumptam concurrunt, methodus tamen in viâ ipsâ sive processu *formaliter* consistit.

In tria igitur capita dividitur Methodologia, in quorum 1^o sermo est de initio sive termino a quo; in 2^o de viâ ipsâ et processu; in 3^o de fine viæ, nimirum de scientiâ.

CAPUT I

DE INITIO SEU DE TERMINO A QUO METHODUS

Quærendum est 1^o utrum initium methodi debeat esse dubitatio universalis? 2^o utrum debeat esse dubitatio particularis?

(1) Præiverat Hugo a S. Victore: « Dignum quæstione videtur, unde hoc accidit quòd duo pari ingenio et æquali studio uni lectioni intendunt, nec tamen simili effectu ejus intelligentiam consequuntur. Alter

ARTICULUS I

Utrum sincera philosophandi methodus initium sumere debeat a dubitatione universali?

321. Opiniones. Cartesius, quem Malebranchius et Fenelonius partim secuti sunt, decrevit eum qui rectè philosophari vult, *primum de omnibus* semel in vitâ dubitare *debere*. Nam 1° experientiâ teste, sæpenumero decepti sumus, nec ullum est criterium a quo non semel in errorem inducti fuerimus. Imò verò decepti sumus in iis quæ maximè evidentia senseramus; ergo etiam nunc fortasse decipimur in iis quæ nobis perspicua videntur. Forsan quippe Genius quidam malignus et præpotens nobis illudit et nostro errore delectatur.

Duo tamen ab isto universali scepticismo excipi voluit Cartesius, nimirum ea quæ ad *religionem* referuntur, et ad obedientiam patriis *legibus* debitam.

2° At ubi de omnibus dubitare contendimus, nullo modo possumus dubitare quin cogitemus; ipsum enim dubium est quædam cogitatio; qui autem cogitat, existit. Ergo vi cogitationis nostræ probatur nos certò existere: *Cogito, ergo sum*.

3° Porrò invenimus in nostro intellectu ideam *infiniti*, quam solus Deus mentibus nostris insculpere potuit. Ergo Deum quoque existere oportet.

4° Probatâ jam Dei existentia, planum fit nos decipi non posse, neque in iis quæ nobis evidentia videntur, neque in iis quæ ex testimonio sensuum accipimus; alioqui error imputari deberet ipsi Deo, cum sit auctor nostræ rationis et omnis propensionis naturalis.

« cito quod quærit apprehendit, alter diù laborat, et parùm proficit. Sed sciendum est quòd in quolibet negotio duo sunt necessaria: *opus videlicet et ratio operis*, quæ ita sibi connexa sunt, ut alterum sine altero aut inutile sit, aut minus efficax. Verumtamen *melior*, ut dicitur, *prudencia est fortitudine*, quia et pondera aliquando quæ viribus movere non possumus, arte levamus. Sic nimirum est in omni studio; qui sine discretionem operatur, laborat quidem sed non proficit et vires in ventum fundit. » (*Erudit. Didascal.*, l. V, c. 5).

En summam cartesianæ methodi, quam recentes plurimi nullis non laudibus celebrârunt, tanquam viam ad veritatem novam, a præjudiciis omnino vacuum, et auctoritatis cujusvis jugo demum liberam.

322. Assertio: *Methodus cartesiana rejicienda est* (1).

1° *Est inutilis*; ideo enim, juxta Cartesium, de omnibus semel in vita dubitandum nobis est, quia non nisi hæc via suppetit ad exuendum præjudicia diversa quæ vel ex passionibus, vel ex educatione imbibimus. Atqui præjudicia, erroresve in multa quidem, præsertim quæ ad mores attinent, cadere possunt, non autem in principia prima et res sensibus manifestas. Ergo frustra et insipienter ad eas veritates porrigeretur dubitatio.

2° *Est impossibilis*; quia dubitatio universalis, etiam temporanea, tum a *natura*, tum ab *evidentiâ* repellitur. Nam veritates multæ tantâ evidentia fulgent, ut mentis assensum, velit, nolit, rapiant; nec ipsa natura sinit nos, vel brevissimo momento, de omnibus dubitare.

3° *Scepticismo plurimum favet*. — Enimvero, ex unâ parte, rationis nostræ et ipsius evidentia vim omnem probat per solam veracitatem Dei, et, ex aliâ parte, existentiam et veracitatem Dei probat per ideam infiniti rationi nostræ insitam; probatur ergo prius per posterius, et posterius per prius, unde circulus vitiosus manifestus est.

4° *Favet rationalismo*; sive quòd omnem in philosophiâ traditionem, omnesque philosophorum veterum sententias e medio sustulit Cartesius, unumquemque hominem ad suam duntaxat conscientiam revocans; sive quòd induxit separationem absolutam philosophiæ a theologiâ sacrâ; sive quòd asseruit universaliter nihil esse recipiendum nisi quod evidentia præditum sit.

Cartesius posuit quidem dogmata *religionis* supra dubium universale. Ast autem illa exceptio ejus systemati satis contradictoria est, nec videtur posse admitti, si modo *generali*

(1) Cf. Balmès, *Le Protest. et le Catholicisme*, t. I, c. 5, et opus nostrum *Histoire de la Philosophie*, 5° édit., 3° part., c. 1, n. 3, ubi de cartesianâ methodo copiosius disputamus.

statuatur unum criterium viro philosopho esse evidentiam. Hinc est cur rationalistæ penè omnes Cartesium salutent parentem suum, necnon rationis humanæ liberatorem.

323. *De naturâ dubitationis cartesianæ.* — Catholici quidam philosophi recentes, ut methodum Cartesii a tot erroribus ac periculis purgatam facerent, opinati sunt ejus dubitationem vel non *universalem*, vel non *realem* fuisse, sed *fictitiam* duntaxat.

Verùm hæc interpretatio benignior quàm verior videtur. Nam 1° dubitatio universalis in operibus Cartesii *expressè* inculcatur, eò quòd nullo modo constat de veracitate facultatum nostrarum, nihilque probat non illudi nos a Genio potente quodam et maligno. — 2° Si fictitiè tantùm dubitavit Cartesius, cur in tuto, extra dubium reponi voluit religionis dogmata? Sanè dubium fictitium omnibus veritatibus christianis applicari potest, teste D. Thomâ cum aliis cunctis theologis. — 3° Si fictitia tantùm fuit hæc dubitatio, vix quidquam *novi* mundo intulit; nec jam est cur Cartesius prædicetur novæ methodi auctor, et liberator rationis humanæ?

At duo pro *certis* haberi debent, nimirum 1° Cartesium, an fictitiè tantùm dubitaverit, *obscurè* admodum significavisse; 2° dubium ejus universale, etiamsi merè fictitium credatur, non minùs inutile esse ad condendam sinceram philosophandi methodum.

ARTICULUS II

Dubium particulare est terminus a quo initium sumere debet methodus philosophandi.

324. *Dubii particularis necessitas.* Initio homo cognoscit quidem veritates primitivas; sed illæ sunt numero paucissimæ. Aliæ omnes vel nos omnino latent, vel confusæ nobis occurrunt, vel in disputationem aut controversiam veniunt, vel præjudiciis ac passionibus obscurantur. Quamobrem methodus philosophandi non potest non incipere a dubio particulari.

325. *Hujus dubii utilitas.* Hoc dubium 1° scientiam *dirigit*, dum ei præfinit *materiam* in quam suas vertere debeat investigationes. Hinc D. Thomas: « Qui volunt inquirere veritatem, non considerando priùs dubitationem, assimilantur illis qui nesciunt quò vadunt. » (*Metaph.*, III, 1). 2° Dubium angit ac proinde mentem *incitat* ut quærat avidiùs veritatem et acriùs instet labori, donec eam invenerit. Quare D. Thomas connexionem arctam esse notat inter *progressum* scientiæ et dubiorum naturam. « Illi qui priùs philosophati sunt et qui nunc philosophantur, a principio admirabantur dubitabilia pauciora, quæ magis erant in promptu, ut eorum causæ cognoscerentur; postea, ex cognitione manifestorum ad cognitionum occultorum paulatim procedentes, inceperunt dubitare de majoribus et occultioribus » (in I *Metaph.* lect. 3°).

326. *Hujus dubii limites.* Fas non est, ut patet, illud extendere ad veritates revelatas; sed neque ad ipsam vim potentialiarum animi, neque ad res sensui manifestas, aut ad prima principia. Qui enim de his vellet dubitare, non tantùm insipientem ageret, sed nec haberet unde eriperet sese ab universalis scepticismi abyso, cum dubia nulla solvi possint, si omnia sint dubia; dubium enim aliter non excutitur, quàm ope alicujus veritatis certæ ac perspicuæ. — Itaque ipsa experientia testis est plures eorum qui omnia ad *liberum*, ut aiunt, *examen* revocant, in scepticismum et *nihilismum* brevi declinare.

CAPUT II

DE VIA IN METHODO SERVANDA, SIVE DE PROCESSU TENENDO EX TERMINO A QUO AD TERMINUM AD QUEM

Præstat 1° expendere leges generales methodi ab omnibus admissas; 2° referre speciales methodos a diversis philosophis propositas; 3° eligere veriozem.